

infima deferentis sui de Veterum sententia, esse abside credetur.
Atque hic est τῶν φαινομένων ordo, dum centrum terrae semicircula-
tionem compleat, à loco infimæ absidis Veneris in consequentiam
signorum, ad locum summæ absidis Veneris ascendens. Eadem
autem ratione descendente terra reflexio ad nostrum aspectum
paulatim in declinationem mutabitur, & quia medietas plani de-
ferentis à summa abside in antecedentia, nobis tali incessu terræ
sit opposita, apogium deferentis Veneris in meridiem à plano
eclipticæ declinare incipit, donec terra in nonagesimo gradu à lo-
co absidis constituta, vtraque medietas ad eclipticæ planum decli-
nata conspicatur, orbisq; , ceu epicyclus Veneris in nodo ascen-
dente ad summam absidem putetur. A quo loco terra recedente
declinatio iterum in reflexionem commutetur, ac consecutum locum
infimæ absidis Veneris, easdem apparentias latitudinum in Vene-
re, terra iterum producere incipient. Ex quibus patet, terra ad li-
neam absidum Veneris posita, planum deferentis planetam refle-
xum apparere, in quadrantibus verò ab his declinatum, in locis
autem intermedijs mixtas latitudines conspici.

*Deuiationis
Veneris lati-
tudo.*

Cum autem præter has latitudines, quas Veteres, epicyclo
Veneris tribuerunt, & alia à Veteribus deuiatione, à Ptolemæo τῶν
ἐκκέντρων κυκλῶν ἡ ἔγκλισις dicta, se his permisceat, ac eandem per
deferentis centrum epicycli Veneris, qui iam sublatus est, demon-
strarunt, aliam & cum obseruationibus magis consonam D. Præ-
ceptor rationem ineundam iudicauit. Hanc autem rationem D.
Doctoris, Præceptoris mei deuiationem saluandi, ut facilius quoq;
haud secus, ac reliqua usque proposita, assequamur: Constitua-
mus planum, cuius mox meminimus, esse medium planum, ac ideo
fixum, à quo verum, iam huc iam illuc certa euagetur ratione. At
quia omnes motus, polorum respectu minori labore ac dispendio
percipiuntur, principio tenendum, alterum polorum plani medijs
in septentrionem, à plano eclipticæ ad inclinationis anguli quan-
titatem eleuari, alterum autem ex opposito tantudem in meridiem
deprimi: & quæ de septentrionali polo, aut ijs, quæ circa hunc fieri
ostensuri sumus, simili ratione, ratione nimis oppositionis habi-
ta, de meridionali intelligi oportere. Proinde circa septentrionalem
planij medijs polum assumamus esse circulum mobilem, cuius ea quæ
excen-